

1527

fetur. Si communis tranquillitatis, ac pacis illi insideat desiderium, ab iis petitionibus abstineret, quæ alienæ a pacis studio prorsus existerent. Ad hæc Cæsar pauca de sua in bonum publicum propensione præfatus, subjicit; partim invidia, partim timore, qui in ipsum arma moverant, impulsos fuisse. His Naugerius: quod ad invidiam spectaret, nihil esse, quod diceret: non diffiteri, Rempublicam, Italiamque universam haud injusto timore pernotam, cum Cæsareanorum infestos animos in Italiae perniciem, ut prope in illius excidium conspirasse viderentur, animadverteret.

Hæc Naugerii literis continebantur, quæ licet gravia Senatus existimaret; tamen is erat post tot annorum curricula, quibus assiduis fluctibus agitata, ac fere convulsa Italia fuerat, publicæ pacis ardor, & studium, ut neutiquam ab iis conditionibus, quæ ab honestate minime abhorrerent, sibi discedendum censeret. Itaque Naugero mandatur, Imperatorem adeat, eamdemque erga pacem cum eo Reipublicæ mentem esse significet; nunquam æquas illius conditiones aversaturam. Ad concordia vero capita, quæ a Carolo proponebantur, ita responsum est. Assiduis bellis non pro augendi imperii finibus, sed pro incolumitate, ac salute susceptis, imminutas ci-vium opes, ingentibusque sumptibus publicas vires attritas, tantas non futuras, ut quod ex foedere anno M. D. XXIII. deberet, ad unguem expleat. Reliquum ducentorum aureorum millium persoluturam; dummodo subditorum bona, quæ in ditionibus Ferdinandi sita sunt, restituantur; eorum vero solutionem longe antea futuram fuisse, si eadem illi, quæ Reipublicæ mens, & voluntas extitisset. Postea de centum, & viginti aureorum millibus, quæ ob non conjunctas Cæsareanis Venetas copias petebantur: jam nulla alia causa pernotam, quam sua erga Carolum benevolentia, atque observantia, in ejus militum stipendia octuaginta millia obtulisse, id acceptum, gratumque Carolo Borbonio fuisse, qui cum repente ex Insubribus in Hispaniam profectus esset, ea de re ad Gasparem Contarenum tunc apud Cæsarem Oratorem scripsisse: verum postea immutatis rebus, cum in dies nova in Rempublicam Cæsareani molirentur, bellorum incendia, ac rui-nas imperio Veneto pararent, ut suis rebus consuleret, alio

*Mandata  
Senatus ad  
Naugerium  
ut de pacis  
conditioni-  
bus ageret.*

se